

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
AUTHENTICE INTERPRETANDO

COMMUNICATIONES

VOL. XVII - N. 1

1985

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS
CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1985

OMAGGIO AL CARDINALE

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Epistula de usu Missalis Romani iuxta editionem typicam anni MCMLXII (3-10-1984)	3
Lettera Apostolica Motu Proprio per la istituzione della nuova Commissione Pontificia per la Pastorale degli Operatori sanitari (11-2-1985)	5

Allocutiones

Allocuzione del Santo Padre al Convegno Ecclesiale Italiano di Loreto	10
Discorso del Papa alla Pontificia Commissione Biblica	12
Discorso del Papa ai 28 nuovi Cardinali	14
Discorso del Papa al suo arrivo nei Paesi Bassi	16
Discorso del Papa agli Educatori Cattolici al Convegno di Countyhall di Den Bosch	17
Discorso del Papa agli Organismi di aiuto al Terzo Mondo	19
Discorso del Papa alla Conferenza Episcopale dei Paesi Bassi	22
Omelia del Papa per il IX Centenario della morte di Gregorio VII	26

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studiorum « De Normis Generalibus » (Sessio II)	29
II. Coetus studiorum « De Clericis » (Sessio II)	74
Coetus studiorum « De Circumscriptionibus Ecclesiasticis »	90
Coetus studiorum « De Conciliis Particularibus et Conferentiis Episcopalibus »	98
III. Coetus studiorum « De Religiosis » (Sessio II)	113
OPERA A BIBLIOTHECA COMMISSIONIS RECEPTA	148

COETUS A STUDIIS « DE RELIGIOSIS »

(Sessio habita diebus 8 ad 12 maii a. 1967)

Sessio II

Diebus 8 ad 12 maii 1967 habita est, in Aula huius Pontificiae Commissionis, secunda sessio Coetus a studiis « De religiosis ». Examen quaestionum propositarum protractum est per octo successivos conventus, quibus praefuit Exc.mus Pericles Felici, Commissionis Praeses.

Iisdem conventibus adfuerunt, praeter Secretarium Commissionis et Secretarium Adiunctum, novem clarissimi Consultores. Duo vero legitime impediti abfuere. Actuarii munere functus est Rev.mus Herranz.

Exc.mus Praeses adstantibus salutem dicit eisque gratias agit propter eorum cooperationem in Commissionis laboribus. Dicit deinceps se attente examinasse relationem de laboribus peractis in praecedenti huius Coetus sessione. Ampla fuit quidem materia studio submissa et profundum examen institutum est circa propositas quaestiones. Forsitan ipsa magnitudo problematum impedivit ne multi canones redigerentur. Cum alia themata pro nova hac sessione statuta non sint, sperare licet fore, ut ad conclusiones magis positivas nunc perveniatur.

Cum subitaneis de causis, Coetus Relator designatus, Roma abesse cogatur, communicat etiam Exc.mus Praeses se rogasse aliquem Rev.mum Patrem inter praesentes, ut Relatoris vice fungi velit. Ab eo igitur postulat ut quaestiones examinandas ordinatim exponat.

Itaque Secretarius Commissionis qui et Relatoris vices gerit, opportunum existimat ut suffragatio fiat circa approbationem relationis factae a Commissionis Secretaria una cum Coetus Relatore de laboribus in praecedenti sessione peractis. Hanc quidem relationem omnes adstantes examinare potuerunt.

(Facta suffragatione, relatio unanimo consensu approbatur. Est Consultor qui manifestat animadversiones a se missas per litteras datas die 12 aprilis 1967 non respicere ipsam relationem, quam omnino fidelem esse reputat, sed continere tantum quasdam considerationes

quas oportunas esse dicit ad clariorem accuratioremque reddendum sensum quarundam idearum quas ipsem exposuit. Gratias ergo refert Exc.mo Praesidi, quia hae litterae adnexae sunt actis Commissionis).

I. DEFINITIO DESCRIPTIVA STATUS RELIGIOSI

Rev.mus Relator introducit quaestionem de definitione descriptiva status religiosi. In adstantium mentem revocat textum canonis initio probatum hunc esse:

« § 1. Status religiosus, in quo fideles, mundo renuntiantes et Christum pressius sequentes, publica professione consiliorum evangelicorum, Deo summe dilecto totaliter et stabiliter mancipantur, praeclarum signum constituit in Ecclesia, gloriam Regni coelestis praenuntians, ideoque ab ea speciali modo fovetur.

§ 2. Haec professio consiliorum evangelicorum castitatis nempe, paupertatis et oboedientiae fieri debet secundum formam ab Ecclesia approbatam et voto firmari vel alio sacro vinculo ».

Attamen, in finem iam vertentibus laboribus praecedentis sessionis, maioritate suffragiorum approbatum est (cf. *Relatio primae sessionis*)¹, ut hic textus iterum redigeretur, ita ut § 1 directam formulationem exprimat status religiosi qui definitur, et in eadem paragraphe explicita fiat mentio trium consiliorum castitatis, paupertatis et oboedientiae.

Duo Consultores querunt an in ipsa prima sessione redactus iam fuerit novus textus huius canonis.

Rev.mus P. Relator respondet tempus ad id efficiendum non suppetisse, nam decisio capta est cum sessio in eo esset ut ei finis imponeretur. Nunc ergo redigenda est nova formula huius canonis.

Exc.mus Praeses proponit, et omnes quidem concordant, ut hoc modo procedatur:

1) postuletur imprimis a novis Consultoribus huic Coetui studiorum aggregatis, ut ipsi suam sententiam manifestent circa textum canonis prius approbati nunc vero reformandi;

2) mandatum detur postea aliquibus Consultoribus, qui novam formulam huius canonis redigant eamque Coetui plenario exhibeant.

¹ Cf. *Communicationes*, vol. XV, n. 2, 1984, p. 219.

Exc.mus Praeses rogat igitur duos noviter adscriptos, ut suam sententiam manifestent circa canonem descriptivum status religiosi.

Unus laudat expressiones « in caritate apostolica » et « arcana fecunditate », quae inveniuntur in canonibus de monachis. Magni momenti exsistimat ut etiam canon generalis circa statum religiosum manifestet efficacitatem apostolicam vitae religiosae. Hoc forte indicari potest modo magis explicito, ex. gr. per verba « praeclarum apostolatus formam secum ferens », vel per alia similia verba.

Alter, vero, quaerit imprimis an Commissionis mens sit ut formula canonis, praeter illa quae stricte iuridica sunt, includat etiam quaedam elementa indolis theologicae et pastoralis. (Exc.mus Praeses respondet mentem Commissionis esse ut ordinarie, quatenus id fieri possit, ita procedatur in canonibus redigendis. Commissarius tunc manifestat textum canonis et sibi placere). Relate vero ad propositionem prioris Consultoris, eam quoad substantiam approbat — etenim in Const. dogm. *Lumen gentium* dicitur vitam religiosam natura sua esse apostolicam —, at mavult aliam formulam, adiungendam in loco ubi mentio fit Regni Dei.

Quidam Consultor, qui adunationibus praecedentis sessionis adesse non valuit, asserit sibi non displicere descriptionem in canone contentam, quamvis mavult ut expressius contineat sequentia elementa: 1) sequela Christi, mediante necessaria conversione seu metanoia personali; 2) abrenuntiatio mundi seu negotiorum saecularium; 3) testimonium per sinceram fraternitatem et caritatem; 4) apostolatus; 5) sollicitudo missionaria. (Exc.mus Praeses et Rev.mus Secretarius animadvertunt omnia ista elementa iam contineri substantialiter in definitione descriptiva, quae praeterea non potest nimis extendi ad considerationes ordinis doctrinalis).

Auditis ergo tribus Consultoribus, qui huius Coetus deliberationibus primo adsunt, Exc.mus Praeses in adstantium mentem revocat eorum sententias favere textui canonis de quo nunc agitur, quapropter rogat Rev.mus Secretarium ut rationes exponat propter quas opportunum visum est novam huius canonis redactionem apparare, quae quidem rationes prae oculis habendae sunt a parvo coetu Consultorum qui novum hunc textum redigant.

Relator-Secretarius exponit difficultates diversasque sententias quae recensentur in relatione praecedentis sessionis studii. Manifestat praesertim cardinem totius problematis residere in convenientia inveniendi formulam claram quae bene ostendat naturam status religiosi et permittat simul debitam insertionem monachorum in hunc statum.

Est qui asserit difficultatem in eo esse praecipue, quod multi monachi hodie dubitant an natura propria sui status simpliciter definiri possit per trium traditionalium consiliorum evangelicorum professionem. Iterum exponit rationes in praecedenti sessione allatas pro definitione minus stricta status religiosi (cf. Relatio primae sessionis).

Consultor quidam ex parte sua manifestat statum religiosum, intra quem Const. dogm. *Lumen gentium* includit etiam explicite monachos, modo proprio et essentiali constitui per publicam professionem trium consiliorum evangelicorum, idque quidem iuxta laudatam Constitutionem, ad cuius praescripta Codicis recognitio perficienda est. Hoc vero non impedit quominus — pro diversis charismatibus — huic elemento essentiali alia secundaria elementa addantur.

Alius Consultor his dictis assentit, additque monachismum posse quidem, intra ambitum generalis legislationis de statu religioso, peculiari quadam legislatione gaudere in speciali Codicis sectione continenda, nullo autem modo monachismum intelligi posse extra statum religiosum. Monachismus, in omnibus suis formis, est et fuit semper status publicus consecrationis in Ecclesia. (His assentit Consultor qui asserit monachos, sicut et ceteros religiosos, *publice* praebere, coram Ecclesia et coram mundo, testimonium illud eschatologicum, quod, modo diverso atque privato, ab omnibus etiam fidelibus praebendum est ratione baptismi recepti).

Est Consultor qui proponit ut, in novo canone descriptivo status religiosi, recenseantur in § 1 elementa constitutiva fundamentalia ordinis iuridici et doctrinalis, quae nunc continentur in §§ 1 et 2 formulae propositae; in § 2 vero recensenda videntur elementa non essentialia, cuiusmodi est illud: « Ecclesia statum religiosum fovet ».

Consultor, qui supra, cum his dictis concordat. Expedire autem censem ut quam maxime servetur substantia formulae iam discussae et approbatae. De eo agitur solummodo, quod in § 1 mentio fiat trium consiliorum quae publicam professionem constituunt, quodque in § 2 exponantur elementa non constitutiva.

(Exc.mus Praeses suffragationi submittit propositionem factam a Consultore, quae approbatur per 7 suffragia favorabilia, 3 vero contraria. Constituitur ergo parva commissio — quam efformant quatuor Consultores — quae novam canonis formulam redigat. Exc.mus Praeses in horum Consultorum mentem revocat convenientiam ut ipsi prae oculis habeant tum id quod a parte maiore Consultorum approbatum est in fine praecedentis sessionis tum ea quae exposita sunt in hodierna disceptatione).

Formula a praefato coetu Consultorum redacta ceterisque Consultoribus pro approbatione submissa haec est:

« § 1. Status religiosus est stabilis vivendi forma ab Ecclesia probata qua fideles, mundo renuntiantes et Christum pressius sequentes, professione publica atque voto firmata consiliorum evangelicorum, castitatis nempe, paupertatis et oboedientiae, Deo summe dilecto totaliter mancipantur, ita ut ad Dei servitium Eiusque honorem atque amore apostolico imbuti in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem novo et peculiari titulo referantur.

§ 2. Cum status religiosus praeclarum signum constituat in Ecclesia, gloriam Regni coelestis praenuntians, ab illa enixe commendatur et fovetur ».

Unus e parva Commissione nuper efformata, id rogante Exc.mo Praeside, breviter exponit ea quae in proposita definitione continentur et haec manifestat:

1) servata sunt omnia elementa descriptiva formulae praecedentis, addita praeterea in § 1 referentia expressa ad tria consilia evangelica: agitur ergo in definitione de modo stabili vitae, de mundi renuntiatione, de Christi sequela, de publica professione, etc.;

2) addita sunt verba « amore apostolico imbuti », ad mentem propositionis alicuius Consultoris;

3) relate ad vinculum adhibita est expressio « voto firmata », ne ante tempus solvi videatur quaestio utrum societas vitae communis et instituta saecularia includenda sint necne intra generalem legislationem status religiosi;

4) in fine § 1 dicitur « novo et peculiari titulo », ut religiosa consecratio apte distinguatur a consecratione baptismali.

Rev.mus quidam Consultor animadvertisit notam apostolicitatis iam implicite contineri in expressione « in salutem mundi », qua de causa proponit ut expungantur verba « amore apostolico imbuti ». Facta suffragatione, haec propositio unanimam approbationem obtinet.

Est qui suggerit ut initium § 2 sic redigatur: « Status igitur religiosus, qui praeclarum signum constituit ... ». Etiam haec propositio accipitur.

Est Consultor qui animadvertisit expressionem « ab illa » esse aequivocam, quia forte intelligi potest tamquam relata ad « gloriam », qua de causa, proponente eodem Consultore, approbatur ut redactio sit « ab ipsa ».

Alius Consultor postulat ut clare enuntietur ratio ob quam status religiosus ab Ecclesia fovetur, quae ratio in eo est, quod status religiosus ut finem habet perfectionem personalem suorum sodalium, quamobrem et signum est.

Est qui suggerit ut dicatur: « signum sanctitatis constituit in Ecclesia ». Huic propositioni assentient duo Consultores.

Est tertius Consultor qui manifestat talem expressionem sibi non placere, utpote quae restrictiva videatur, nam alia etiam, praeter statum religiosum, in Ecclesiae vita exsistunt quae eius sanctitatem ostendunt; praeterea ipse status religiosus signum quoque est aliarum realitatum ecclesialium, praesertim indolis eschatologicae Ecclesiae.

Exc.mus Praeses concordat cum dictis huius Consultoris, nam etiam Sacra mentia merito dicuntur signa sanctitatis in Ecclesia, quia significant et efficaciter conferunt divinam gratiam. Praeterea quaelibet vita christiana, etiam eorum qui in statu religioso non sunt, sanctitatis signum constituere potest et debet. Sanctitas enim Ecclesiae una est atque unica, et ideo potest manifestari etiam extra statum religiosum, sub formis propriis et cum propria spiritualitate. Ut legitur in Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 40: « In variis vitae generibus et officiis una sanctitas excolitur ab omnibus ». (His assentient Ill.mi tres Consultores).

Facta suffragatione, additio non admittitur. Ill.mus quidam Consultor proponit ut in § 1 sequentia verba inserantur: « Christum pressius sequentes, *peculiari ratione perfectionem* *persequuntur* ... », quae tamen additio non admittitur nam, uti animadvertisit ab aliquo, talis idea iam indicatur per verba ultima huius paragraphi, nempe: « novo et peculiari titulo referantur ».

Est qui proponit ut dicatur: « ... pressius sequentes *ad perfectam caritatem* *tendunt* ». (Animadvertisit tamen quidam hoc affirmari quoque posse de universis fidelibus, quippe qui omnes, in proprio cuiusque statu, ad sanctitatem tendere debeant, scilicet ad perfectam caritatem. Propositio ergo non recipitur).

Consultor qui supra, aliam formulam suggerit, nempe: « peculiari modo sanctitatem *prosequuntur* ». (Additio autem non admittitur, nam, uti animadvertisunt tres Consultores, haec idea iam continetur implicite sub verbis « professione publica consiliorum », quae professio est modus specificus iuxta quem religiosi ad sanctitatem tendunt).

Rev.mus Consultor, quocum concordat et aliis, postulat ut expungantur verba « Deo summe dilecto ». Etiam Exc.mus Praeses censet talem expressionem supprimi posse, nam idea implicita continetur in

totali mancipatione ad Dei servitium. Ipse est qui, latinitatis et claritatis causa, proponit ut in eadem § 1 dicatur: « ... totaliter mancipantur per professionem publicam voto firmatam consiliorum ... ».

Exc.mus Praeses, cum aliae animadversiones non proponantur, adstantium suffragationem postulat circa hanc formulam emendatam § 1 canonis:

« Status religiosus est stabilis vivendi forma ab Ecclesia probata qua fideles, mundo renuntiantes et Christum pressius sequentes professione publica atque voto firmata consiliorum evangelicorum, castitatis nempe, paupertatis et oboedientiae, Deo totaliter mancipantur, ita ut ad Dei servitium Eiusque honorem et in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem novo et peculiari titulo referantur ».

Haec formula placet solummodo quinque ex duodecim praesentibus, quapropter Exc.mus Praeses novum textum proponit, ubi retinetur expressio: « Deo summe dilecto », sed cum variatione: « per professionem ... », etc.) proposita ab uno Consultorum:

« Status religiosus est stabilis vivendi forma ab Ecclesia probata qua fideles, mundo renuntiantes et Christum pressius sequentes, Deo summe dilecto totaliter mancipantur per professionem publicam voto firmatam consiliorum evangelicorum, castitatis nempe, paupertatis et oboedientiae, ita ut ad Dei honorem et servitium atque in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem novo et peculiari titulo referantur ».

Hic textus paragraphi § approbatur per novem suffragia favorabilia et tria adversa.

Exc.mus Praeses postulat igitur suffragationem circa textum emendatum § 2, qui sic sonat:

« Status igitur religiosus, qui praeclarum signum constituit in Ecclesia, gloriam Regni coelestis praenuntians, ab ipsa enixe commendatur et fovetur ».

Facta suffragatione, hic textus omnibus placet. Textus ergo canonis descriptivi status religiosi sub hac redactione a Coetu approbatur:

Canon

§ 1. *Status religiosus est stabilis vivendi forma ab Ecclesia probata qua fideles, mundo renuntiantes et Christum pressius sequentes, Deo summe dilecto totaliter mancipantur per professionem publicam voto firmatam consiliorum evangelicorum, castitatis nempe, paupertatis et oboedientiae, ita ut ad Dei honorem et servitium atque in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem novo et peculiari titulo referantur.*

§ 2. Status igitur religiosus, qui praeclarum signum constituit in Ecclesia, gloriam Regni coelestis praenuntians, ab ipsa enixe commendatur et fovetur.

II. DE MONACHIS

Rev.mus Secretarius Commissionis in adstantium mentem revocat deliberationes habitas in praecedenti sessione circa ius monachorum (cf. Relatio primae sessionis),¹ animadvertisitque redactos et approbatos iam esse canones de monachismo in genere et de vita eremitica (cf. Relatio primae sessionis). In praesentia vero necessarium non videtur ut Coetus noster studium huius materiae prosequatur, nam aliae adsunt quaestiones generales (ex. gr. de votis religiosis) circa quas nondum in Coetu actum est. De problematisbus praeterea agitur in quorum studium nunc temporis et ipsi Ordines monastici instanter incumbunt, quapropter exspectandum videtur donec exitus talium studiorum ac deliberationum cognoscatur.

Est unus qui unicam animadversionem proponere desiderat, nempe expressionem: « Nomine eremitae venit religiosus ... », quae legitur in canone approbato in praecedenti sessione, minus aptam videri, quippe quae Codici nunc vigenti aduersetur.

At est qui respondet hanc expressionem ideo adhibitam esse, quod Concilium Oecumenicum eremitas recenset inter religiosos (cf. Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 43), quamvis Codex utique ignoret figuram eremitae.

Exc.mus Praeses adiungit semper, uti par est, actum iri de fideli qui publicam professionem emiserit suae peculiaris consecrationis, et quidem ab Ecclesiae auctoritate receptam; aliter enim ipse vocari nequit religiosus. Fidelis quilibet — sacerdos vel laicus — qui ad vitam solitariam agendam recedat neque est neque iure vocari potest religiosus eremita.

III. DE VOTIS RELIGIOSIS

Rev.mus Relator quaestionem introducit manifestans heic agi praesertim de determinando utrum in novo Codice servari debeat necne distinctio nunc vigens vota sollemnia inter et simplicia, et ideo utrum

¹ Cf. *Communicationes*, vol. XV, n. 2, 1984, p. 221.

permanere debeant necne diversae consequentiae iuridicae provenientes e natura utriusque speciei votorum religiosorum. Usque ad saeculum XVI omnia vota religiosa erant sollemnia. Per Societatem Iesu in Ecclesiae Ius introducitur conceptus voti simplicis, qui conceptus, saeculis XVIII et XIX, adiumentum praebuit ad determinandam figuram iuridicam Congregationum religiosarum, cum vel sine exemptione.

Est qui quaerit quaenam sit differentia sub aspectu theologico vigens inter utramque votorum speciem.

Est qui respondet Codicem Iuris Canonici brevem mentionem facere differentiarum ordinis iuridici, haud vero theologici.

Exsurgit qui hanc quaestionem dupli sub aspectu considerandam esse censem:

a) sub aspectu doctrinali, quaestio de votorum sollemnitate arcte connectitur cum professionis stabilitate. In Const. *Lumen gentium*, n. 44, dicitur: « Tanto autem perfectior erit consecratio, quo per firmiora et stabiliora vincula magis repraesentatur Christus cum sponsa Ecclesia indissolubili vinculo coniunctus ». Quapropter, hoc sub respectu — atque etiam sub respectu gratiae peculiaris seu charismatis — servanda esse videtur distinctio vota sollemnia inter et simplicia;

b) sub aspectu autem iuridico assentiendum esse videtur iis qui necessariam vel opportunam exsistimant parificationem votorum, ex quo multa practica commoda sequerentur: exempli gratia, vitari possent inquietudines Congregationum clericalium, quae minores vindentur per comparationem cum Ordinibus.

Concludit ergo Rev.mus Consultor consequentias iuridicas utriusque votorum speciei suo iudicio aequiparandas esse, servatis tamen differentiis ordinis doctrinalis. Animadvertisit autem hoc problema arctam habere connexionem cum quaestione de professione temporali, a Pio IX introducta ideoque sat recenti. Nonnulli auctores desiderant ut talis professio temporalis non amplius admittatur: tempus probationis, ipsi aiunt, firmetur quidem, at sine votis, ita ut vota, cum nuncupentur, perpetua sint sive maior stabilitas obtineatur.

Est Consultor qui non concordat cum priore Consultore quoad distinctionem doctrinalem vota sollemnia inter et simplicia. Afferit enim consequentias theologicas easdem esse sub aspectu theologico, nam utroque in casu consecratio religiosa perfecta adest. Differentiae vero respiciunt solummodo ordinem iuridicum, notatim spectant ad capacitatem personalem possidendi bona atque ad possibilitatem obtinendi dispensationem a votis et contrahendi matrimonium (Concilio

Tridentino id statuente, votum sollempne est impedimentum dirimens matrimonii). Hae consequentiae proveniunt ex Ecclesiae dispositione, ideoque indole pollent mere iuridica, neque ab ipso voto oriuntur, nempe ab eius natura theologica. Hoc ex eo probatur, quod vota simplicia adsunt quibus Ecclesia tribuit easdem consequentias quam votis sollemnibus. Stabilitas vero voti, ex parte voventis, eadem est sive agatur de voto sollemni sive de simplici. Concludit ergo idem Consultor se, his rationibus aliisque practicis de causis, stare pro omnimoda aequiparatione votorum religiosorum. Si autem haec aequiparatio quasdam difficultates secum ferat pro aliquibus religionibus, aptior modus eas solvendi remitti potest ad singulas constitutiones.

Et alter Consultor manifestat se etiam stare pro aequiparatione votorum religiosorum. Forma mentis hodie vigens postulat suppressionem huius distinctionis.

Quidam animadvertisit hanc distinctionem introductam esse solummodo ob rationes practicas; nostro autem tempore perpendi debent mutationes quae habentur in vita religiosa: hodie enim sorores adsunt sive in monasteriis, sive in scholis, nosocomiis aliisque operibus externis; facilius hodie obtinentur dispensationes a votis sollemnibus, etc. Forsitan ergo necessarium non est, immo neque opportunum, ut talis distinctio servetur.

Unus e Consultoribus animadvertisit duas esse vias ad hanc distinctionem supprimendam: *a)* supprimi possunt vota sollemnalia, vel *b)* omnia vota simplicia fieri possunt sollemnalia, cum eadem stabilitate. Potestne omnimoda aequalitas uno aliove sensu statui, quin eo ipso detrimentum patiantur peculiaritates vitae, apostolatus, stabilitatis, etc.?

Rev.mus socius in mentem revocat universa vota publica, ante tempus S. Ignatii, fuisse vota sollemnalia iuxta S. Thomae doctrinam. S. Ignatius vota simplicia introduxit propter necessitatem praebendi iuridicam solutionem figurae « coadiutorum », qui considerabantur « in praeparatione ad Societatem Iesu ». Vota simplicia quae « coadiutores » nuncupabant erant absoluta ex parte voventis, sed condicionata ex parte Societatis. Cum « coadiutores » vota sollemnalia non emitterent, ipsi considerari non poterant religiosi secundum ius generale tunc temporis vigens, sed S. Ignatius desiderabat ut hi Societatis sodales reciperent iuridicam condicionem religiosorum. Societas Iesu hanc concessionem obtinuit. Quaedam post saecula et professi votorum simplicium in Congregationibus plenam aequiparationem religiosis obtinuerunt. Perpensa igitur ipsa origine votorum simplicium, nihil obstare

videtur quominus — semper in relatione cum professione definitiva — admittatur sola exsistentia unius speciei votorum religiosorum, quae vocentur publica retineantque iuridicas consequentias votis sollemnis tributas a Concilio Tridentino.

At est qui manifestat etiam hanc votorum distinctionem — quae ceterum non est traditionalis in statu religioso, utpote quae tempore sat recenti apparuerit — difficile hodie intelligi et obstaculum constituer pro vocationibus.

Exc.mus Praeses quaerit an aliqua decisio hac de re capta sit in Congregatione Generali Societatis Iesu nuper habita. (Rev.mus Relator negative respondet: decisio dilata est, usquedum criteria cognoscuntur quae alii religiosi sequi desiderant). Quaerit deinceps Exc.mus Praeses an circa hoc problema Unio Romana Superiorum Generalium aliquid statuerit. (Respondet Rev.mus P. Relator hanc esse quaestione valde disputatam inter religiosos, quapropter forte expedit ut, nunc saltem, sententia Unionis Romanae non postuletur, sed problema hoc funditus perpendatur ac solvatur in sinu nostrae Commissionis).

Ill.mus quidam Consultor problema in eo reponendum esse existimat, ut determinetur an effectus canonici votorum religiosorum iidem esse debeant pro universis fidelibus qui talem statum amplectantur. Si expedire videatur ut differentiae nunc vigentes serventur — cui sententiae Ill.mus Consultor profitetur se favere —, tales differentiae recensendae sunt in Codice, quin remissio fiat ad constitutiones diversorum institutorum religiosorum.

Rev.mus P. Relator, qui etiam fatetur se adversari suppressioni huius distinctionis, in mentem revocat huic problemati coniungi quaestio utrum abroganda sit necne distinctio ordines religiosos inter et congregaciones. Censet tamen hanc quaestionem mere spectare ad terminologiam, nam congregaciones adsunt quae ex privilegio exemptione fruuntur, quibus tamen numquam concessa est facultas ut seipsas ordines vocarent.

Exc.mus Praeses, cum de quaestione intrincata agatur quacum alia problemata connectuntur, expedire censet ut discussio intermittatur, ita ut Consultores necessariae reflexioni vacare possint, attentis diversis sententiis prolatis. Rogat etiam Rev.mum unum e Patribus ut brevem relationem conficiat de practicis consecrariis quae sequi possunt ex abrogata distinctione vota sollemnia inter et simplicia. Quoad quaestionem autem de exemptione, utpote quae res sit quae Episcoporum quoque interest, Exc.mus Praeses expedire censet ut de hac

re agatur in proxima sessione Coetus, cui invitentur etiam aliqui Episcopi nostrae Commissionis Consultores.

Rev.mus P. Relator, cui nuper commissum est munus redigendi brevem relationem, iterum inchoata tractatione circa vota religiosa, manifestat nullam differentiam intrinsecam exsistere — secundum omnes fere auctores — vota sollemnia inter et simplicia. Rationes a S. Thoma allatae et quas aliqui afferre solent pro distinctione, applicari merito possunt etiam votis perpetuis simplicibus, saltem si eis auferantur quaedam limitationes quae ab Ecclesia eis impositae sunt. Illa distinctio est tantum ex dispositione Ecclesiae (can. 1308, § 2). Ergo facile posset auferri sive faciendo omnia vota « sollemnia », sive omnia « simplicia », sive nec sollemnia nec simplicia sed tantum vota religiosa perpetua seu definitiva.

Rationes pro tollenda distinctione: 1) Inaequalitas inter Ordines et Congregationes, quae hodie aegre fertur. V.g. fere nulla distinctio inter Ordines et Congregationes clericales apostolicas (nisi ratione finis uniuscuiusque Instituti). 2) Multa membra Congregationum quaeruntur eo quod non eis permittatur se plene et radicaliter consecrare ex quadam dispositione iuridica. 3) Sodales Congregationum sunt uni fideles qui non possunt — quia eis non permittitur ab Ecclesia — plene observare consilium paupertatis perfectae a Christo datum. 4) Maxima pars religiosorum (90%) sunt membra Congregationum et coguntur ad permanendum in quadam inferioritate et capitibus immunitione. 5) Spiritus Concilii, quod inclinat in aequiparationem, et permittit religiosis votorum simplicium ut bonis suis renuntient (cf. Decr. *Perfectae caritatis*, n. 13).

Rationes pro conservanda distinctione: 1) Non facile mutandum est quod per tantum tempus viguit et quod videtur conforme cum natura et fine Institutorum. 2) Concilium abhorret a nimia aequalitate, praesertim religiosorum: e.g., vult ut monachi servent suam structuram traditionalem quae non satis servata est in Codice actuali. 3) De facto non omnia Instituta sunt aequaliter « perfecta » — alia sunt strictiora alia laxiora —, quae diversitas manifestanda est in votis. 4) Concilium dicit: « Tanto perfectior erit consecratio quo per firmiora et stabiliora vincula magis repraesentatur Christus cum sponsa Ecclesia indissolubili vinculo coniunctus » (*Const. Lumen gentium*, n. 44). Ergo debent esse vota religiosa magis et minus firma.

Ad has rationes in favorem distinctionis votorum Rev.mus P. Relator ita respondet:

Ad 1) Mutandae sunt res cum satis graves rationes id postulent. Ceterum Ordines non ideo amittent suum peculiare genus, si alia vota suis fiunt aequalia. Nihil impedit quod, maxime quoad paupertatem, vota definitiva sint magis stricta, ex Constitutionibus, in quibusdam Institutis. Nec quod exigantur causae graviore ut vota dispensentur in Institutis strictioribus.

Ad 2) Concilium tantum abhorret a distinctionibus quae fundatae non sunt, ex.gr. distinctiones sociales inter religiosos, etc.

Ad 3) Iam responsum in 1°.

Ad 4) Etiamsi tollatur distinctio, erunt vincula firmiora (ergo perfectiora) tum inter varia Instituta religiosa, ut dictum est, tum inter vota definitiva et non definitiva seu temporaria, atque etiam inter vota et alia sacra ligamina votis assimilata.

Denique idem Relator breviter exponit alias distinctiones, praeter vota et eorum effectus quae, de iure condito, existunt inter Ordines et Congregationes: exemptio, iurisdictio, clausura, dimissio et alia minoris momenti, quae fere omnia non proprie dependent a votis sollemnibus vel simplicibus sed ex aliis rationibus.

Prae oculis habitis his considerationibus, hoc schema pro suffragationibus proponitur:

«*Notandum*: 1) agitur tantum de exploranda mente Coetus, in ordinem ad labores futuros; 2) agitur tantum de ultimis votis, seu de professione definitiva et perpetua quae fit in Ordinibus et Congregationibus religiosis proprie dictis (praescindendo nunc a momento quo fieri debeat, utrum post 3 vel 6 annos professionis temporariae, ut nunc, vel serius, praemissa forte aliqua professione (seu promissione), perpetua quidem sed non definitiva, ut propositum fuit. De his et aliis rebus similibus postea disputabitur.

1) Placet ut retineatur substantialiter immutata actualis distinctio inter votum sollempne et simplex, et consequenter distinctio inter Ordines et Congregationes (cum quibusdam forte mutationibus minoris momenti postea disputandis, v.g. quoad votum paupertatis prout a Concilio concessum est)?

— Si placet, finita est suffragatio.

— Si non placet:

2) Placet ut suppressio illius distinctionis ita fiat ut maneant tantum *vota simplicia*, cum consequente reductione Ordinum ad cate-

goriam actualem Congregationum, forte cum quibusdam mutationibus minoris momenti, postea disputandis. V.g. quoad votum paupertatis prout a Concilio concessum est? (Nunc praescindimus a problemate postea solvendo de actualibus sollemniter professis).

- Si placet, fit transitus ad nn. 3 et 4.
- Si non placet, fit transitus ad n. 5.

3) Placet ut, retentis in praxi praesentibus nominibus singulorum Institutorum, "iuridice" in futurum tempus vocentur:

- a) Ordines (religiosi).
- b) Congregationes (religiosae).
- c) Instituta (religiosa).
- d) Alio nomine postea inveniendo?

4) Placet ut saltem Instituta quae nunc exemptionem habent, eam retineant, quamvis "Ordines" ad gradum "Congregationum" descenderent?

(Haec suffragatio forte remitti posset ad momentum quo de exemptione ageretur).

5) Placet ut suppressio illius distinctionis ita fiat ut maneant tantum *vota sollemnia*, et ideo omnia Instituta fierent "Ordines" (quidquid de nomine iuridico eis dando), et forte cum quibusdam varietatibus a Constitutionibus pressius determinandis maxime quoad votum paupertatis, seu quoad capacitatem possidendi religiosorum? (Nunc praescinditur a problemate, quod postea solendum esset, de his qui nunc vota tantum simplicia iam emiserunt).

6) Ut in n. 3.

7) Placet ut exemptio (forte non aequalis pro omnibus) extendatur ad:

- a) Omnia Instituta iuris pontificii?
- b) Instituta clericalia iuris pontificii?
- c) Instituta virorum iuris pontificii?
- d) Instituta etiam mulierum iuris pontificii quae subiecta sint institutibus respondentibus virorum?
- e) Tantum ad Instituta quae nunc eam habent, et iis quibus postea concessum sit?
(Haec suffragatio forte remitti posset ad momentum quo de exemptione ageretur) ».

Exc.mus Praeses quaerit num, antequam fiant suffragationes, Consultores aliquid animadvertisendum habeant.

Est Consultor qui manifestat se stare pro suppressione differentiae votorum. Inde enim a periodo praeparatoria Concilii Vaticani II ad S. C. de Religiosis et ad Commissionem Praeparatoriam multae petitiones pervenerunt in favorem unificationis votorum, ut necessaria simplificatio haberetur, utpote quod consecratio totalis sit sive vota sint sollemnia sive sint simplicia. De hac tamen quaestione nihil in Concilio statutum est, nam differentiae inter utramque votorum speciem sunt naturae canonicae, et ideo quaestio remissa est ad Commissionem Codici recognoscendo.

Propter momentum quod forte habere potest sub aspectu sociologico — relate ad hodiernum statum Institutorum religiosorum —, idem Consultor animadvertisit religiosos cum votis sollemnibus esse solummodo 13% numeri totalis religiosorum. Hanc ostendit statisticam, a S. C. de Religiosis confectam:

Ist. masch.

323 (di cui 44 Ordini
con voti solenni)

Membri

337.935 (di cui 113.620 con voti
solenni)

Ist. femm.

2.215 (di cui 32 Ordini)

1.118.187 (di cui 84.952 con voti
solenni)

1.456.122

197.580

Totale religiosi: 1.500.000 di cui 200.000 con voti solenni,
cioè: 13% con voti solenni

(sono compresi gli Istituti di Dir. Pont. e di Dir. Dioc.)

Est qui plene concordat cum iis quae dicta sunt ab hoc Consultore, atque in mentem revocat rationes a se expositas in relatione confecta pro praecedenti Coetus sessione. Adiungit exsistentiam unius speciei *votorum religiosorum* nullo modo secum ferre abrogationem distinctionis Ordinem inter et Congregationem; Ordines suum titulum servarent propter valorem historicum quo pollet, sicut contingit, ex.gr. quoad « Patriarcham Venetiarum ».

At exstat etiam qui tertiam viam querendam existimat, vota nempe

unica et diversa ab hodiernis votis sollemnibus et simplicibus, quorum iuridica substantia accurate determinetur.

Est qui hac quoque in re applicandum esse censet principium subsidiarietatis, ita ut concretae consequentiae ex unicis votis lege generali Codicis statutis provenientes pendere possint a singulis Constitutionibus.

Est Consultor qui censet id fieri non posse, praesertim quod attinet ad consequentias votorum relate ad matrimonium: constare debet in Codice num et quibus in casibus matrimonium dirimant vel solummodo impedian. Forsitan in Codice indicari possunt solummodo quae-dam principia generalia necnon plures formulae disiunctivae quoad consequentias iuridicas in Constitutionibus determinandas.

Alter censet problema in eo ipso residere, ut determinetur utrum ex.gr. statuere oporteat duo systemata colendi paupertatem, ut unumquodque Institutum seligat id quod sibi placuerit, an contra, ad fidelitatem servandam traditioni — uti Concilium statuit — Instituta sequi teneantur normam quam, nonnullis in casibus, pluribus abhinc saeculis colunt.

Consultor quidam animadvertisit heic non agi de destruendis vel minuendis iis quae pertinent ad pulcherrimam traditionem (quoad paupertatem, renuntiatio capacitatris possidendi). De eo potius agitur ut differentiae vitentur, quae quidem hodie non intelliguntur, cum res semper versetur circa animas quae, per professionem religiosam, sese totaliter consecrare desiderant. Cur enim talis consecratio, si fiat in Congregatione, habere non potest — nisi ob specialem concessionem — easdem consequentias quam vota sollemnia? Re quidem vera tota quaestio versatur circa paupertatem. Ex eo vero quod unicum adsit paupertatis votum pro universis religiosis non sequitur quod differentiae specificae adesse non possint — quoad conservandam vel amittendam capacitatem possidendi, etc. — quae in Constitutionibus determinentur. Hoc modo, Ordines qui id desiderent suam traditionem servabunt, dum simul Congregations facile adnectere poterunt suis votis id quod pertinet ad substantiam actualium votorum sollemnium, neque ulli Instituto aliquid praescribetur, quod ipsum de facto non desideret.

Consultor qui momentum doctrinale magis perpendit, iterum manifestare desiderat quaestionem hanc non esse solum iuridicam, verum etiam doctrinalem. Firmitas ac stabilitas vinculi non pendent tantum a voti duratione, sed etiam ab eius consequentiis. Nisi velimus admettere differentias nominum, admittamus saltem duas votorum species

cum diversis consequentiis. In mentem revocat verba iam citata Const. *Lumen gentium*, n. 44: « Tanto autem perfectior erit consecratio, quo per firmiora et stabiliora vincula magis repraesentatur Christus cum sponsa Ecclesia indissolubili vinculo coniunctus ».

Animadvertisit quidam verba comparativa « firmiora » et « stabiliora » pendere a sententia « vel alia sacra ligamina votis assimilata » textui adiuncta instantibus Societatibus vitae communis. Re enim vera votum religiosum est eo ipso firmum ac stabile. (His assentit et alter Consultor).

Rev.mus P. Relator manifestat incapacitatem possidendi et acquirendi, quae a voto sollemni oritur, repraesentare radicalem condicionem servi quae religiosi propria est, quae res pertinet ad intimitatem et quidem observanda est. Aliud est votum sollempne, aliud vero votum simplex cum privilegio non possidendi. Verus religiosus cohaeret cum ipsam natura voti paupertatis.

Exc.mus Praeses, cum nonnulli postulaverint ut bene determinetur quaesitum circa quod suffragatio facienda est, adstantium suffragationem quaerit circa sequentem quaestionem:

« Placetne ut retineatur substantialiter immutata actualis distinctio inter votum sollempne et simplex? ».

Exitus suffragationis hic est:

Placet: 3.

Non placet: 9.

Rev.mus P. Relator, cum, Exc.mo Praeside id statuente, huius quaestione disceptatio iterum inchoetur, haec quaesita pro adstantium suffragatione proponit:

SUFFRAGATIONES

« 1) Placet ut tria illa vota constitutiva status religiosi “unificata”, seu aequalia pro omnibus Institutis vere religiosis, vocentur *vota religiosa*, sine addito, et cum effectibus postea determinandis?

2) Placet ut illa vota “unificata” vocentur *sollemnia* et prima vota (post novitiatum) *simplicia*?

3) Placet ut vota “religiosa” perpetua seu unificata sint sensu actuali *vota simplicia*, ita ut, nisi aliud dicatur, non dirimant actus contrarios?

4) Placet ut vota "religiosa" sint sensu actuali *vota sollemnia* seu, nisi aliud dicatur dirimant actus contrarios?

5) Ne vacuentur definitiones tridentinae ob defectum obiecti, placet ut vota illa perpetua "religiosa" (sine addito), in opportuniore loco, v.g. in canone in quo definiuntur vel describantur eorum effectus, dicantur esse *sollemnia* seu *publica*, et in eodem vel in alio loco dicantur dirimere matrimonium subsequens, et dirimere etiam matrimonium ratum et non consummatum alterius coniugum?

6) Servata facultate unicuique Instituto servandi suum actuale nomen, quomodo "iuridice" vocabuntur Instituta religiosa "unificata" ratione votorum aequalium? (Cetera possent designari *in praxi* quasi typi speciales Institutorum quae decursu temporis apparuerunt, ut sunt nunc v.g. monachi, clerici regulares, etc.).

- a) Religiones.
- b) Ordines (religiosi).
- c) Congregationes (religiosae).
- d) Instituta religiosa.
- e) Alio nomine postea inveniendo? ».

Quidam quaerit num mens Coetus sit ut iure communi prima professio vigere pergit. Hoc dicit quia — uti prius animadvertis — Instituta adsunt ea abrogare desiderantia, ita ut, suppressis votis temporibus, professio religiosa — unica ac definitiva — sit iuridice et theologicamente perfecta.

Exc.mus Praeses respondet de hac quaestione loco opportuno actum iri, nam in textu quae sit pro suffragatione dicitur: « cum effectibus postea determinandis », quapropter Exc.mus Praeses adstantium suffragationem postulat circa primum quae situm, scilicet:

« *Placetne ut tria illa vota constitutiva status religiosi « unificata », seu aequalia pro omnibus Institutis vere religiosis, vocentur vota religiosa, sine addito, et cum effectibus postea determinandis?* ».

Exitus suffragationis est:

Placet: 4.

Non placet: 8.

Exc.mus Praeses, perpenso exitu negativo huius suffragationis, secundum quae situm proponit, nempe:

« *Placetne ut illa vota "unificata" vocentur sollemnia et prima vota (post novitiatum) simplicia?* ».

Exitus suffragationis est:

Placet: 1.

Non placet: 12.

Exc.mus Praeses attento exitu etiam negativo secundae huius suffragationis, in adstantium mentem revocat necessitatem statuendi uno aliove modo quomodo vocanda sint vota illa « unificata », quorum reductio ad unam speciem iam approbata est.

Est qui recolit tres species votorum nunc vigentes (vota nempe simplicia temporaria, simplicia perpetua et perpetua sollemnia) iam nunc vocari *vota religiosa*, quod est nomen genericum.

Exc.mus Praeses, post brevem interruptionem disceptationis, iterum proponit suffragationem circa primum quaesitum supra relatum. Exitus nunc est:

Placet: 7.

Non placet: 5.

Ergo parti maiori Consultorum placet ut vota « unificata » vocentur *vota religiosa*.

Consultor quidam, quocum concordat et alter Pater, expedire censet ut clare dicatur hoc nomine intelligi solummodo vota publica, vota nempe perpetua ex parte societatis et voventis. Haec propositio unanimiter approbatur, quapropter dicendum est: « *Vota publica religiosorum vota religiosa appellantur* ».

Exc.mus Praeses tertium quaesitum pro suffragatione proponit, videlicet:

« *Placetne ut vota “religiosa” perpetua seu unificata sint sensu actuali vota simplicia, ita ut, nisi aliud dicatur, non dirimant actus contrarios?* ».

Exitus suffragationis est:

Placet: 1.

Non placet: 11.

Exc.mus Praeses proponit igitur quartum quaesitum, quod sic sonat:

« *Placetne ut vota “religiosa” sint sensu actuali vota sollemnia seu, nisi aliud dicatur, dirimant actus contrarios?* ».

Exitus suffragationis est:

Placet: 1.

Non placet: 11.

Attento exitu negativo harum duarum suffragationum, Exc.mus Praeses adstantibus manifestat clare apparere difficultatem nunc determinandi quid vota religiosa unificata *continere* debeant. Expedire ergo censem ut disceptatio intermittatur atque Consultores rogat ut rem hanc mature perpendant.

Quaestionis examine iterum inchoato, Exc.mus Praeses manifestat Codicem nunc vigentem non determinare in canonibus de religiosis quid vota sollemnia contineant, sed adhibere contra verba generica ad ea describenda: « sunt sollemnia quae ipsa Ecclesia recognoscit ». Hac de causa necessarium non videtur ut hic Coetus studii nunc temporis, perdurante nempe recognitione canonum generalium de religiosis, accurate determinet quid vota unificata continere debeant: id enim potest fieri deinceps, in opportunis Codicis locis. Haec propositio omnibus Consultoribus placet. Adest Consultor qui suggerit ut in formula approbata circa sensum verborum « vota religiosa » addatur clausula statuens determinationem effectuum iuridicorum remitti ad ius particolare. Est tamen qui iterum manifestat suo iudicio oportere ut non omnes determinationes iuri particulari remittantur, sed saltem aliquae iure communi statuantur. Hac de causa sequentem formulam proponit, qua praeterea quaestio solvit de votis perpetuis ex parte voventis sed non ex parte societatis:

« Vota religiosa sunt vota publica in quacumque religione emissa, sive perpetue sive non, quorum effectus iure communi atque constitutionibus unicuique Instituto propriis determinantur ».

Facta suffragatione, hac formula omnibus placet.

Exc.mus Praeses deinceps hoc quae situm proponit:

« Servata facultate unicuique Instituto servandi suum actuale nomen, quomodo iuridice vocabuntur Instituta religiosa nunc « unificata » ratione votorum?: a) Religiones; b) Ordines (religiosi); c) Congregaciones (religiosae); d) Instituta religiosa; e) alio nomine postea inveniendo? ».

Omnibus placet ut vocentur *Instituta religiosa*.

IV. DE PRAECEDENTIA

Secretarius Commissionis sese referens ad relationem cuiusdam Consultoris, pag. 5, quaestionem proponit de praecedentia inter diversa Instituta religiosa. Notatim, utrum regula aliqua de praecedentia statuenda sit necne, non obstante votorum unificatione. Forsitan, ait Rev.mus Secretarius Commissionis, recognitio can. 492 relinqui potest

pro tempore posteriori, cum solutae iam sint aliae quaestiones de quibus agendum est, videlicet: definitio Instituti religiosi, Institutorum species: clericales et laicales, iuris pontificii vel iuris dioecesani, etc.

Exc.mus Praeses huius quaestionis examen differri posse autumat, quamquam censem opportunum esse ut hac de re norma aliqua tradatur. Adhiberi forte potest criterium historicum, attenta nempe antiquitate diversorum Institutorum religiosorum.

V. DE INSTITUTI RELIGIOSI DEFINITIONE

Rev.mus Secretarius hanc quaestionem introducit sequens relationem cuiusdam Consultoris. Legit imprimis formulam ista in relatione propositam, quae haec est:

« Religio est persona moralis a legitima auctoritate erecta in quasodales iuxta propria statuta consilia castitatis, paupertatis et oboedientiae profitentur, vota emitendo vel alio sacro vinculo sese obstringendo ».

Definitio haec Consultoribus non placet, praesertim quia continet elementa de quibus iam agitur in primo canone generali descriptivo status religiosi, a Coetu approbato.

Alius Consultor hunc textum proponit:

« Institutum religiosum est societas a legitima auctoritate ecclesiastica erecta, quaeque personalitate canonica donatur, et cuius sodales statum religiosum ad normam can. 1 (canonis nempe descriptivi huius status) amplectuntur ».

Facta suffragatione, hic textus unanimiter approbatur.

Simul vero Coetus haec in actis referenda esse existimat: *a)* dicitur « *erecta* », quia in Ecclesia adesse etiam possunt aliae associationes quae sint approbatae, laudatae, commendatae, etc. a Hierarchia, at vero sine decreto erectionis; sufficiens ergo non reputatur verbum « *approbata* »; *b)* dicitur « *personalitate canonica donatur* », eo consilio ut remissio fiat ad canones redigendos de persona morali in Ecclesia, ubi hoc problema penitus perpendendum est.

Exc.mus Praeses rogat Ill.mum Consultorem qui superiorem textum proposuit ut, initium sumens a definitione Instituti religiosi iam approbata et sequens, quatenus id fieri potest, ordinem idearum can. 488 actualis Codicis, textum proponat aliorum canonum circa diversas species Institutorum religiosorum diversasque religiosorum species, etc. Prae oculis etiam habeat oportet alias canones iam redactos et approbatos circa notionem status religiosi et religiosorum vota.

Idem Ill.mus Consultor, disceptatione iterum inchoata, haec canonum schemata proponit:

Canon

« 1º. Institutum religiosum exemptum est quod in causis iure determinatis ab Ordinarii loci iurisdictione subductum est et in iisdem potestati subiicitur Apostolicae Sedis atque suorum Superiorum ad normam iuris communis et Constitutionum.

2º. Institutum religiosum clericale est cuius plerique sodales sacerdotio augentur; secus est laicale.

3º. Institutum religiosum iuris pontificii est quod ab Apostolica Sede est erectum aut laudis decretum ab eadem saltem consecutum est; iuris dioecesani est quod ab Episcopo dioecesano erectum est et tale laudis decretum non obtinuit ».

Canon

« Religiosi appellantur qui vota publica, sive perpetua sive non, ad normam can. 1, in aliquo Instituto religioso emiserunt. Religiosi intelliguntur etiam religiosae, nisi ex contextu sermonis aut ex rei natura aliud constet.

1º. Monachi vocantur religiosi qui ...

2º. Moniales dicuntur religiosae, quae vota religiosa emiserunt in Instituto, in quo ad normam Constitutionum vitam unice contemplativam ducunt; caeterae appellantur sorores ».

Canon

« 1º. Domus religiosa est domus alicuius Instituti religiosi; forma dicitur in qua sex saltem religiosi degunt, quorum, si agitur de instituto religioso clericali, quattuor saltem sint sacerdotes.

2º. Provincia religiosa est circumscrip^tio territorialis, personalitate canonica gaudens, pluribus constans domibus religiosis inter se coniunctis, sub eiusdem Superioris regimine, ad normam iuris communis et Constitutionum.

3º. Foederatio monastica (vel: monasteriorum) ...

4º. Confoederatio ... ».

Exc.mus Praeses adstantes rogat ut animadversiones exponent circa canonem primum.

Exsurgit quidam Consultor qui, quoad n. 1, dubitat num expediat ut talis distinctio in novo Codice servetur. Tendentia hodie vigens est ut omnia Instituta clericalia iuris pontificii gaudeant exemptione interna, dum exemptio externa (i.e. relate ad rationes cum Ordinariis dioecesanis) restringitur etiam quoad Ordines. Distinctio igitur potius reponenda est inter Instituta religiosa iuris pontificii et Instituta religiosa iuris dioecesani.

Alter Consultor existimat hanc esse difficilem quaestionem, quae funditus perpendenda videtur antequam solvatur.

Exc.mus Praeses his dictis assentit, et statuit ut huius quaestione examen fiat solummodo post expletum studium instituti exemptionis, quod ad aliam Coetus sessionem remissum iam fuerat. Postulat ergo ut animadversiones fiant in n. 2 canonis propositi.

Unus e Consultoribus animadvertis criterium nunc vigens ad istam divisionem statuendam non a numero sacerdotum sed ab Instituti fine pendere. Instituta adsunt quorum finis non exigit sacros ordines, et ideo in eis solummodo exigitur ut Superior Generalis sit sacerdos, dum finis aliorum Institutorum sacerdotium utique postulat, saltem in aliquibus membris, et tunc Instituta iuridice considerantur clericalia.

Iis assentiunt alii Consultores, quam ob rem est qui proponit ut dicatur:

« Institutum religiosum clericale est quod ordinatur ad ministerium proprie sacerdotale ».

Est Consultor qui animadvertis difficile esse ministerium istud « proprie sacerdotale » definire in relatione cum Instituti fine. Instituta adsunt quorum finis — ex.gr. preli apostolatus — ex se non necessario postulat tale ministerium, sed haec Instituta indigent quoque sacerdotibus.

Alius, vero, proponit ut dicatur: « praecipuus finis specialis ordinatur ad munera clericalia exercenda ».

Exstat qui suggerit ut, ad includendos etiam sacerdotes qui necessarii sunt ad complendam vitam spiritualem ceterorum membrorum Instituti, dicatur: « saltem plerique sodales ex constitutionibus sacerdotio destinantur ».

Consultor qui supra, considerandas quoque existimat relationes quae in eadem religione vigent clericos inter et laicos. Tendentia hodie imperans dicit ad supprimendam vel minuendam hanc differentiam practicam sive socialem, licet in ordine ministeriali munera, uti par est, diversa sint.

Est qui in adstantium mentem revocat Abbates olim adfuisse qui sacerdotes non erant.

Rev.mus quidam Consultor animadvertisit hac sub distinctione multas implicationes latere, quae quidem hodie non amplius vigent, tum ob progressionem ecclesiologiae tum ob rationes sociologicas. His in adjunctis, considerandum est utrum talis distinctio servanda sit necne. (His assentit alius socius).

Est qui asserit mentem Commissionis Conciliaris « De religiosis » fuisse ut Instituta laicalia suam indolem retineant.

Consultor qui supra respondet huic considerationi non obstare desiderata clarificatio terminologiae in Codice adhibendae. Prae oculis etiam habendum est quaestionem de qua nunc agitur intimam connexionem habere cum cann. 107 et 108, e quibus profecto multa problemata oriuntur.

Est Consultor qui concordat cum socio qui supra manifestatque hac de re actum quidem esse in Coetu studiorum « De laicis ». Hic enim Coetus votum expressit circa hanc rem, quam necessariam existimavit ad uniformem verborum significationem in Codice obtainendam. Idem verbum adhiberi nequit ad designandas realitates diversam speciem theologicam praeseferentes.

Exc.mus Praeses legit votum expressum a Coetu studiorum « De laicis », quod sic sonat:

« Quia novus Codex Iuris Canonici tractabit, modo quidem longiori quam praecedens, de laicis, secundum mentem Constitutionis *Lumen gentium*, n. 31 et Decreti *Apostolicam actuositatem*; insuper quia valde desideratur ut novus Codex adhibeat vocabularium in quo evitetur qualiscumque confusio:

Subcommissio « De laicis » instanter petit ut vocabula “laicus” et “laicalis” non adhibeantur in alio sensu ».

Quidam recolit Ill.mum quendam peritum perdurante Concilio, desiderium manifestasse ut tripartita fidelium divisio vitaretur, scilicet in clericos, religiosos et laicos.

Est qui in mentem revocat Const. *Lumen gentium*, n. 43, ubi de statu religioso dicitur: « non est intermedius inter clericalem et laicalem conditionem, sed ex utraque parte quidem christifideles a Deo vocantur ».

Consultor quidam respondet Coetum « De laicis » in hac propositione redigenda tales rationes pree oculis habuisse. Re enim vera in Ecclesia, iure divino, existunt solummodo duae fidelium species, clericorum nempe et laici, quibus correspondent duo status iuridici, scilicet

status clericalis et status laicalis. At vero pluribus abhinc saeculis alias status, iure ecclesiastico, ortum duxit, videlicet status religiosus, qui, ratione contentus, ab aliis duobus statibus differt. Fideles qui hunc statum religiosum assumunt « ex utraque parte » quidem procedunt (e statibus nempe clericali et laicali) sed talis assumptio secum fert mutationem in statu canonico talium personarum, quia hi fideles, per publicam professionem consiliorum evangelicorum, desinunt esse clerici vel simplices laici, ut fiant religiosi. Modus unicus vitandi divisionem tripartitam in iure canonico consistenter in deneganda statui religioso condicione status iuridici diversi.

Est qui dicit se stare pro non applicando verbo « laicalis » ad religiosos, et haec sua affirmatio extenditur non solum ad personas morales, nempe ad Instituta religiosa, verum etiam ad personas physiccas. Idem dicit et alter Consultor.

Exc.mus Praeses proponit igitur hoc quaesitum pro suffragatione:

Placetne ut in iure futuro distinctio inter Instituta religiosa unice sit:

*Instituta religiosa clericalia, et
Instituta religiosa non clericalia?*

Cum hoc omnibus placeat, est qui duos hos textus proponit:

« Institutum religiosum dicitur clericale quod, vi Constitutionis suae, specialem persequitur praecipue finem, qui exercitium muneraclium secumfert (requirit), et cuius igitur plerique sodales sacerdotio aucti sunt; secus non-clericale dicitur ».

« Institutum religiosum dicitur clericale quod, vi Constitutionis suae, praecipue specialem persequitur finem, qui exercitium muneraclium requirit, et quod uti tale in erectionis decreto agnoscitur; secus non-clericale dicitur ».

Quidam tertiam hanc formulam addit:

« Institutum religiosum clericale est Institutum religiosum cuius finis specialis requirit ut pars notabilis sodalium sacerdotio vel diaconatu augeantur ».

Disceptatio fit de formula prima ab Ill.mo Consultore proposita.

Quidam Consultor proponit ut dicatur « vi Constitutionum », loco « vi Constitutionis suae ». Animadversio accipitur.

Alius Consultor obiectionem movet contra verba « plerique sodales sacerdotio aucti sunt ». Cum contingere possit ut Instituta religiosa adsint quorum nonnulli sodales ad diaconatum stabilem promoveantur,

melius est ut dicatur « sodales sacris ordinibus aucti sunt », vel alia similis formula. (His assentit unus e Consultoribus).

Est Consultor qui contrarium tenet, quia, ait, licet diaconi adsint, plerique tamen clerici erunt sacerdotes.

Est qui suggerit ut dicatur « plerique sodales clericis sint oportet ». Verbum autem « plerique » adstantibus non placet. Proponitur etiam expressio « notabilis pars », quae tamen solummodo a sex Consultoribus approbatur. Demum maior pars adstantium acceptat ut dicatur « magna pars ».

Idem Consultor animadvertis verba « quod uti tale in erectionis decreto agnoscitur » inveniri in formula ab alio Consultore proposita, necnon in formula secunda a se proposita. Haec autem verba necessaria videntur, ut in decreto iuridice statuatur qui sit finis specialis et principalis, quo attento condicio clericalis Instituti religiosi determinatur; nisi id enim ita fiat, talis finis posset mutari de facto.

Unus e Consultoribus his dictis a praecedente Consultore assentit, quamvis mavult formulam a se propositam cum hac addita determinatione, nam verbum « praecipue » sibi non satis placet.

Adhuc praecedens Consultor suggerit ut dicatur « aliquem specialem persequitur finem », quae tamen formula non acceptatur, quia plerique Consultores necessarium ducunt ut finis principalis bene determinetur.

Est qui proponit verba « specialem persequitur imprimis finem », quae formula approbatur.

Quidam Consultor postulat ut statuatur magisque determinetur sub verbis « magna pars » intelligi « partem praecipuam », illos nempe qui Instituti religiosi moderamen gerunt. Hoc vero in casu determinandum est an diaconi iisdem facultatibus quoad gubernium polleant, quam sacerdotes.

Respondetur universam rem de diaconorum iurisdictione in genere — ex.gr. quoad assistentiam matrimonio, etc. — esse adhuc quaestio nem sub iudice.

Expletur itaque disceptatio circa textum propositum, cuius formula legitur et suffragationi submittitur. Textus autem hic est:

Institutum religiosum dicitur clericale quod, vi Constitutionum, specialem persequitur imprimis finem, qui exercitium munerum clericatum secum fert quodque uti tale in erectionis decreto agnoscitur, et cuius igitur sodalium magna pars clericis sint oportet; secus non-clericale dicitur.

Facta suffragatione, hic textus omnibus placet, uno excepto.

Examini subiicitur formula proposita ab Ill.mo Consultore pro definitione Instituti religiosi iuris pontificii et iuris dioecesani. In hanc formulam sequentes animadversiones fiunt.

Est qui quaerit cur dicatur « ab Apostolica Sede », nam iter iuridicum Instituti religiosi, sicut et cuiuslibet associationis ecclesiasticae, incipit per canonicam erectionem ab episcopo dioecesano factam.

Respondetur per historiae decursum non semel evenisse ut aliqua Instituta directe a Sancta Sede erigerentur, quod et nostris diebus accidere potest.

Quidam Consultor obiectionem movet contra expressionem « decretum laudis »: est enim praxis sat recens, quae forte non expedit ut tamquam definitiva habeatur.

Est qui manifestat recentius adhuc esse ut, per solam receptionem decreti laudis, Instituta fiant iuris pontificii. Quoad ipsam existentiam decreti laudis, in mentem revocat tale decretum pertinere ad ius nunc vigens (CIC, can. 492, § 2).

Est qui proponit ut dicatur « speciale decretum », loco « decretum laudis ». Propositio accipitur.

Unum e sociis animadvertisit hodie agitari sequentem quaestionem: utrum ea omnia praeliminaria, quae nunc praecedunt erectioni ex parte episcopi, sint in iure communi retinenda an alio modo ordinanda. Multi existimant substantialiter recognoscendos esse conceptus atque modos secundum quos erectio fit in iure nunc vigenti. Forte igitur vitanda est divisio huius generis, saltem donec quaestio haec praevia solvatur.

Quidam Pater pariter animadvertisit Instituta religiosa, ante erectionem ab episcopo factam, hodie vocari « piae uniones », quod nomen mutandum videtur, nam in Codice « pia unio » aliud sensum habet.

Exc.mus Praeses expedire non censet ut formula taxativa, licet indolem definitivam non habens, nunc statuatur relate ad divisionem inter Instituta religiosa iuris pontificii ac iuris dioecesani. Rogat igitur unum e coetu ut novum textum redigat, attentis animadversionibus in primam formulam factis.

Ecce novus textus qui proponitur:

Institutum religiosum dicitur iuris pontificii quod ab Apostolica Sede aut erectum aut per speciale decretum approbatum est; dicitur iuris dioecesani quod ab Episcopo dioecesano quidem erectum huiusmodi approbationis decretum ab Apostolica Sede non est consecutum.

Est qui postulat ut loco « non est consecutum » dicatur « nondum est consecutum ». Ill.mus tamen redactor novi textus obiicit id idem

esse ac affirmare omnia Instituta religiosa pervenire debere ad conditionem iuris pontificii, quod quidem verum non est.

Quidam Pater expungenda censet, ut non necessaria, verba « huiusmodi approbationis decretum ab Apostolica Sede non est consecutum ».

Est qui e contra haec verba necessaria existimat, ut clare pateat talia Instituta extendi posse ad alias dioeceses.

Est vero qui obicit Instituta religiosa ad alias dioeceses extendi posse quamvis non sint iuris pontificii.

Alius socius id quidem admittit, sed censet has determinationes particulares remittendas esse ad canonem ubi in concreto definiantur characteres itineris Institutorum religiosorum et regimen iuridicum uniuscuiusque Instituti.

Est denique qui existimat quoque has determinationes includi non posse in hoc canone, quippe qui indolem generalem habeat.

Sic expletur disceptatio circa formulam propositam. Facta suffragatione, textus sine ulla emendatione unanimiter approbatur.

VI. DEFINITIO RELIGIOSORUM

Incipit deinceps examen canonis propositi pro religiosorum definitione. Animadversiones in textum propositae hae sunt:

Primus Consultor proponit suppressionem verborum « in aliquo Instituto religioso », ne excludantur eremita.

Secundus Consultor censet haec verba supprimi posse, nam ad hoc ut quis fiat religiosus necessarium est solummodo ut vota publica nuncupet. Modus autem quo eremita haec vota emittant alio loco statui potest, at vero id fieri quidem debet sive coram Episcopo sive coram Abbe, quia omnino necessarius est superior qui talia vota nomine Ecclesiae recipiat.

Tertius Consultor suggerit ut loco verborum « Religiosi intelliguntur etiam religiosae » dicatur « per verbum religiosi intelliguntur etiam religiosae ».

Secundus Consultor mavult ut adhibeat formula can. 490: « Quae de religiosis statuuntur valent etiam ... », servata expressione « nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet », quae adiutorium constituit pro interpretatione.

Quartus Consultor, concordantibus omnibus, proponit ut dicatur: « Nomine religiosorum veniunt etiam religiosae, nisi ex contextu sermonis aut ex natura rei aliud constet ».

Quartus Consultor proponit etiam ut n. 1 (« Monachi vocantur religiosi qui ... ») servetur uti exstat in canone approbato in prima sessione huius Coetus. Hoc tamen non approbatur, quia hic canon aptius ponendus videtur in parte speciali ubi de monachorum iure agatur.

Quintus Consultor suggerit ut expungatur prior sententia canonis qui nunc examinatur (« Religiosi appellantur ... emiserunt »), quia hoc iam dicitur in can. 1, ubi status religiosus describitur neque repetitio videtur necessaria. Textus ergo canonis de quo nunc agitur sic incipere posset: « Nomine religiosorum veniunt ..., etc. », uti approbatum est. Deinceps dici potest: « Religiosae dicuntur moniales quae ..., etc. », ut habeatur consecutio temporum. Sic indirecte remittitur quaestio de monachis. Propositio accipitur.

Est qui mavult ut dicatur « in monasterio », loco « in Instituto ».

Quintus Consultor neutram expressionem adhibendam esse censet. Suo iudicio sufficit ut dicatur: « vota religiosa emiserunt ad normam regulae et vitam unice contemplativam ducunt ».

Haec propositio approbatur, excepto tamen verbo « unice », circa quod longa fit disceptatio. Nonnulli Consultores sugerunt verbum « praecipue », quia moniales adesse possunt quarum vita non sit « unice » contemplativa, uti eruitur e Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, ubi introducuntur substantiales modificationes quoad clausuram papalem, sed simul dicitur relate ad has religiosas: « firma manente earum conditione monialium ». Alii Consultores in mentem revocant verba in Decr. *Perfectae caritatis*, n. 7 adhibita quoad Instituta monastica esse: « integre ad contemplationem ordinantur ». Alii demum animadverunt duas diversas species monialium considerari in n. 16 eiusdem Decreti, in § 1, illas quae « vitae unice contemplativae » dicantur; in § autem 2, « moniales operibus externis apostolatus ex instituto ditate ». Rebus sic stantibus, approbatur emendatio a Rev.mo quodam socio proposita, ut dicatur nempe « imprimis », loco « unice ».

Exc.mus Praeses expleta ita textus disceptatione, ipsum legit uti remanet post factas emendationes:

« Nomine religiosorum veniunt etiam religiosae, nisi ex contextu sermonis aut ex natura rei aliud constet. Moniales dicuntur religiosae, quae vota religiosa emiserunt ad normam regulae et vitam imprimis contemplativam ducunt; caeterae appellantur sorores ».

Facta suffragatione, textus unanimiter approbatur.

VII. DE DOMIBUS ET PROVINCIIS RELIGIOSIS

Perpenditur n. 1 canonis propositi circa definitionem domus religiosae, et hae fiunt animadversiones:

Primus Consultor: religiosi adsunt qui ratione apostolatus simul vivunt in domo paroeciali: estne haec domus consideranda ut domus religiosa (duo Consultores alios similes casus recensent).

Secundus Consultor proponit ut dicatur (et animadversio accipitur): «domus alicuius Instituti religiosi *qua talis legitime erecta*». Hoc modo praescribitur formalitas iuridica quae delimitat conceptum domus religiosae, eiusque differentia statuitur cum domo non religiosa, licet in ipsa religiosi degant.

Alius Consultor quaerit an opportunum sit addere «et saltem» tribus religiosis formata», eo quod deinceps dicetur numerus religiosorum qui efformant «domum formatam».

Exc.mus Praeses respondet ceterique assentiunt sufficere praecedentem additionem propositam a secundo Consultore, quia requisita necessaria pro actu erectionis — nempe numerus religiosorum, etc. — determinari possunt postea in canone ubi de hac re agatur.

Idem respondet Exc.mus Praeses Rev.mo cuidam Consultori postulanti ut in hoc canone determinetur num domus religiosa sit persona moralis, quae quidem est quaestio valde disputata.

Rev.mus hic novissimus Consultor, sese referens ad definitionem domus formatae, in mentem revocat hac de re agi solummodo in tribus canonibus vigentis Codicis (cann. 516; 591 et 617, § 2). Hac de causa forte necessarium non est hanc ipsam rem definire in aliquo canone generali, eam distinguendo a domo religiosa in genere.

Tertius Consultor, quocum concordant nonnulli alii, censet hanc distinctionem momentum habere propter suas consequentias iuridicas, ideoque servandam videri. De hac quaestione fit suffragatio et maiori parti Consultorum placet ut haec distinctio servetur.

Rev.mus quidam Consultor proponit ut conceptus domus formatae idem sit quam conceptus domus formaliter erectae. Ceteri autem Consultores non concordant.

Secundus Consultor sufficere non censet ut dicatur: «quattuor saltem sint clerci», quia religiosi adsunt votorum temporariorum qui clerci sunt, licet nondum expleverint curriculum theologicum. Necesarium est ut dicatur numerus minimus religiosorum qui curriculum propriae formationis iam expleverint et Instituto perpetue incorporati sint.

Tertius Consultor proponit ut dicatur (et haec propositio admittitur): « in qua degunt quinque saltem religiosi votorum perpetuorum ».

Disceptatione ita expleta, legitur textus emendatus circa domum religiosam, qui sequens est:

« *Domus religiosa est domus alicuius Instituti religiosi, qua talis legitime erecta; formata dicitur in qua degunt quinque saltem religiosi votorum perpetuorum* ».

Suffragatione facta, textus omnibus placet, uno excepto Rev.mo Consultore.

Transitus deinde fit ad examen n. 2 textus propositi, ubi agitur de definitione provinciae religiosae. Hae fiunt animadversiones:

Quartus Consultor animadvertisit textum duo nova elementa introducere, quae non inveniuntur in n. 6 can. 488 CIC, scilicet: 1) conceptus provinciae religiosae ut « circumscriptionis territorialis »; 2) indicatio « personalitate canonica gaudet » quae in Codice non continetur, licet in ipso provinciae religiosae tribuatur capacitas possidendi bona.

Est Consultor qui adiungit textum propositum praetermittere etiam provinciam religiosam, ad normam vigentis Codicis, dici « partem eiusdem religionis », quod quidem momentum habet ad differentiam determinandam provinciam inter et foederationem monasticam, quae quidem non est pars instituti monastici.

Quartus Consultor manifestat unum e principiis fundamentalibus a Commissione statutis pro recognitione Codicis in eo consistere ut posthac circumscriptiones ecclesiasticae non determinentur exclusive attento criterio territorialitatis, sed perpensis etiam aliis criteriis characteris personalis — videlicet ritu, lingua, etc. — licet criterium territoriale norma generalis esse pergit. Rebus sic stantibus, congruere non videtur ut in iure religiosorum definitio provinciae religiosae fiat attento criterio exclusive territoriali.

Est Consultor, cui accedit alter socius, qui manifestat hoc esse criterium unicum quod adhibetur ad provincias erigendas iuxta praxim S. C. de Religiosis saltem viginti vel viginti quinque abhinc annis.

Primus Consultor manifestat religiosorum iurisdictionem de facto induere characterem praevalenter personalem, quia subiectio personae erga superiorem non domicilio sed professione determinatur. Hac de causa melius est ut dicatur provinciam religiosam esse « partem Instituti centralizati ».

Secundus Consultor formulam suggestit: « est consociatio domorum eiusdem Instituti personalitate canonica gaudens ».

Est Consultor qui animadvertisit formulam « circumscrip^{tio} territorialis » esse novam, quia ipsa in Codice non adhibetur. Praeterea, si Concilii doctrina elementum personale roboravit quoad circumscriptionum determinationem, congruere non videtur ut provincia religiosa definiatur exclusive tamquam territorium.

Unus e Consultoribus asserit se concordare in eo quod criterium territoriale non statuatur ut elementum unicum, quamquam censem expidere ut territorium esse pergit criterium ordinarium delimitationis ecclesiasticae iurisdictionis.

Facta suffragatione, omnibus placet ut provincia religiosa non definiatur ut « circumscrip^{tio} territorialis », sed potius ut « pars Instituti ».

Secundus Consultor proponit ut loco « sub eiusdem Superioris regimine » dicatur « sub unius Superioris regimine ».

Exc.mus Praeses quoad hanc ultimam propositionem animadvertisit haec verba perinde intelligi posse ac « sub unius personae regimine ». Suggestit ergo — et haec formula approbatur — ut dicatur: « sub eodem Superiore », quae est formula in Codice adhibita.

Est qui postulat ut expungatur expressio « ad normam iuris communis et Constitutionum », utpote quae superflua videatur: patet enim rem semper ita esse debere. Propositio admittitur.

Exc.mus Praeses legit textum emendatum definitionis provinciae religiosae, qui sic sonat:

« Provincia religiosa est pars Instituti, personalitate canonica gaudens, pluribus constans domibus religiosis inter se coniunctis, sub eodem Superiore ».

Facta suffragatione, textus ita emendatus omnibus placet.

VIII. DE CONGREGATIONIBUS ET FOEDERATIONIBUS MONASTICIS

Primus Consultor legit textum propositum a Rev.mo quodam socio in p. 10 sua relationis. Textus hic est:

« § 1. Congregatio monasteriorum vel Foederatio monasteriorum est plurium monasteriorum sui iuris et eorumdem statutorum inter se coniunctio sub eodem praeside.

§ 2. Confoederatio Foederationum, plurium Foederationum eiusdem familiae religiosae inter se coniunctio sub eodem praeside ».

Secundus Consultor animadvertisit munus praesidis Congregationis monasticae consistere solummodo in monasteriorum visitatione et in constitutione tribunalis secundae instantiae.

Tertius Consultor his assentit adiungitque Foederations esse aliquid omnino diversum. Multae adsunt Foederations sine praeside, vel quarum praeses potestate dominativa caret, ita ut eius missio reducatur ad fovendas mutuas fraternalis relationes inter diversa monasteria facilioremque reddendam novitiatuum operam, etc. Distinguendum est ergo « Congregationem » inter et « Foederationem »: prior enim est institutum iuridicum, altera vero talis non est.

Secundus Consultor refert, sub secreto quidem, nonnulla quae continentur in schematibus apparatis a Commissione iuridica benedictinorum pro Congressu Abbatum proxime habendo.

Exc.mus Praeses adstantibus manifestat peculiaria problemata quae oriuntur ex his quaestioneibus, quapropter statuit ut studium huius rei differatur ad tempus opportunum.

IX. ALIAE INTERVENTIONES

Quidam Consultor, qui adesse non valuit adunationibus ubi redacta et approbata est formula canonis descriptivi status religiosi, manifestat hunc textum sibi non placere postulatque ut rationes a se expositae in actis referantur. Rationes autem hae sunt:

« In hoc canone circa statum religiosum:

1. Anachoretae non comprehenduntur: non faciunt vota. Atqui vita eremitica est *origo* vitae religiosae.

2. Monachi benedictini non possunt imaginem vitae monasticae invenire. Non habent enim hanc enumerationem tripartitam — castitas, paupertas, oboedientia — sicuti appareat in canone.

3. Monachi orientales eadem ratione non invenient ibi modum proprium vitae monasticae. Non utuntur hac voce “vota”, saltem semper.

4. Canones de vita monastica et de anachoretis sunt in contradictione cum isto primo canone. Ubi sermo est de anachoretis?

5. In secunda paragrapho solummodo sermo est de aspectu “eschatologico” istius modi vitae. Est elementum essentiale!

Haec descriptio inspiratur a statu rerum stabilito saeculo duodecimo. Atqui, cum decisione habendi “legem fundamentalem”, oportet

ut descriptio vitae religiosae, saltem in primo canone, possit manifestare aliquo modo traditionem religiosam *Ecclesiae indivisae*.

Hoc per rationes theologicas et oecumenicas ».

Idem Consultor proponit etiam ut in hac § 1 dicatur « super omnia dilecto », loco « summe dilecto ».

Est quidam, cui neque haec ultima expressio placet, postulat ut dicatur: « summe diligendo ».

Exc.mus Praeses asserit haec desideria manifestata a duobus Consultoribus in actis huius sessionis relatum iri, una cum textibus canonum quos ceteri Consultores approbaverunt.

Rebus ergo de quibus agendum erat ita expletis, Exc.mus Praeses Consultoribus gratias agit ob pervalidam cooperationem quam praebeuerunt et alteram hanc sessionem studii, postquam preces de more dicuntur, conclusam declarat.

Romae, die 10 maii 1967.

TEXTUS CANONUM
QUI IN HAC SESSIONE APPROBATI SUNT

Canon

§ 1. *Status religiosus est stabilis vivendi forma ab Ecclesia probata qua fideles, mundo renuntiantes et Christum pressius sequentes, Deo summe dilecto totaliter mancipantur per professionem publicam voto firmatam consiliorum evangelicorum, castitatis nempe, paupertatis et oboedientiae, ita ut ad Dei honorem et servitium atque in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem novo et peculiari titulo referantur.*

§ 2. *Status igitur religiosus, qui praclarum signum constituit in Ecclesia, gloriam Regni coelestis praenuntians, ab ipsa enixe commendatur et fovetur.*

Canon

Vota religiosa sunt vota publica in quacumque religione emissasive perpetue sive non, quorum effectus iure communi atque constitutionibus unicuique Instituto propriis determinantur.

Canon

Institutum religiosum est societas a legitima auctoritate ecclesiastica erecta, quaeque personalitate canonica donatur, et cuius sodales statum religiosum ad normam canonis 1 (canonis nempe descriptivi huius status) amplectuntur.

1°. Institutum religiosum dicitur clericale quod, vi Constitutionum, specialem persequitur imprimis finem, qui exercitium munierum clericorum secum fert quodque uti tale in erectionis decreto agnoscitur, et cuius igitur sodalium magna pars clerici sint oportet; secus non-clericale dicitur.

2°. Institutum religiosum dicitur iuris pontificii quod ab Apostolica Sede aut erectum aut per speciale decretum approbatum est; dicitur iuris dioecesani quod ab Episcopo dioecesano quidem erectum huiusmodi approbationis decretum ab Apostolica Sede non est consecutum.

Canon

Nomine religiosorum veniunt etiam religiosae, nisi ex contextu sermonis aut ex natura rei aliud constet. Moniales dicuntur religiosae, quae vota religiosa emiserunt ad normam regulae et vitam imprimis contemplativam ducunt; caeterae appellantur sorores.

Canon

Domus religiosa est domus alicuius Instituti religiosi, qua talis legitime erecta; formata dicitur in qua degunt quinque saltem religiosi votorum perpetuorum.

Canon

Provincia religiosa est pars Instituti, personalitate canonica gaudens, pluribus constans domibus religiosis inter se coniunctis, sub eodem Superiore.

Romae, die 10 maii 1967.

J. HERRANZ, *Actuarius*

